



1. Dav: Vogel Diff. an creatio Mundi ex lumine nature demonstrari queat. 1704.
2. Chr. Mascevoj Diff. ex Gen. I. vi. 1723.
3. Joachi Hildebrandi Diff. de creatione universi 1687.
4. Berth. Derschow Diff. de immortalitate primi hominis. 1629
5. Christ. Mascevoj Diff. de voluntate Adam 1710
6. Joh: Hurelmanni Diff. de lapsu primorum parentum. 1637.
7. Mart. Corseh Diff. II, de fluvio paradisi. 1706.
8. Aug: Pfeifferi, Diff. de homicidio Lamechi. 1671.
9. Christ. Neubaur Diff. de signo quod Deus Caini posuit. 1672.
10. Joh. phil. Pfeifferi Diff. de homicidio Lamechi. 1670

- 11 Mich. Schreiber Diss. proponens Aemata Historiae
antediluviana. 1703.
12. Dan. Haynooy Diss. de Structura turris Babilon.
1694.
13. Dav. Bierfreund Diss. ^{nice} utrum rufus Chus fuerit
monstrum. 1687.
14. Wilh. Lyseri Diss. de vera Religione. 1635.
15. Christoph. Cellarij Diss. de excidio sodom & 1695.
16. Joh. phil. Pfeifferi Diss. de statua salis uxoris
Lotii. 1670.
17. Hect. Godofr. Masij Diss. de uxore Lotii, 1720
18. Godofr. Wein Diss. de divinatione Josephi per
Egyptum. 1685.
19. Joh. Wilh. Bajer, Diss. ad Exod. ¹⁰ x10. 1697.
20. Frid. von Schöven Diss. in Exod. VI. v. 3, 1721.
21. Joh. Bernh. Hahn Diss. ex Num. XI. v. 31. 32 —
22. Godofr. Wegneri Diss. de cibatione C. virorum 1703.
23. Christ. Korthold, Diss. de virga Aaroni. 1625.
24. G. Frid. Rogal Diss. de thuribulo ex antiquitate
judaica restitute. 1724.
25. Christ. Goeza Diss. de unctione sacerdotij summi.
1689.
26. Eva Christ. Boldich Diss. de pontifice maximo Aegreor.
1677.
27. Dan. Weimar Diss. de unctione sacra Aegreorum.
1680.
28. Gabri. Reussely Diss. miscellanea philologica
1723.
29. theod. Renald. Taly Diss. de sacerdote castrovi Aegri
1671.
30. Joh. Henr. Haener Diss. de ritu benedictionis sacerdot.
1714.
31. Joh. Jac. Quand, Diss. de coracibus Altaris, 1714.
32. Joh. Behm, Diss. de Cotione in obsecrandis sacris
1715.

- 33 Bernh. von Sanden Diss. de duobus Hircis. ¹⁶⁹⁰ Cap. XVI.
- 34 Mich. Hognaviy oratio de modo peccatae exstinguendi? ¹⁶⁹⁹
- 35 Joh. Christoph. Kortenscher Diss. de jejunijs ¹⁶⁹⁹ Etrogum.
- 36 Jac. Welleri Diss. II de ritibus lugentium ¹⁶⁹¹ Cbr. & Etrugum.
- 37 Gabr. Groddeck. Diss. de ceremonia palmarum ¹⁶³⁶ judaeor.
- 38 Joh. Jac. Quandt Diss. de cultis circumcisiois ¹⁶⁹⁴ Cbr. & Etrugum.
- 39 Joh. Bernh. Dein Diss. ritus triplicem ¹⁷¹³ Coriathum a deo judicandum. 1723
- 40 Henr. opity Diss. de satellitjs ¹⁶⁷² Davidis et Salomonis.
- 41 Godofr. Wezneri commentatio de navigationibus ¹⁶⁸⁹ salam.
- 42 Christ. Sahnij Diss. de regressu solis ¹⁶⁹⁶ tempore Hircud.
- 43 Laur. Wezeri Diss. ex Ezech. VIII v. 17. 1710
- 44 Christoph. Grube examen vocis ¹⁷¹³ 3755731 Huf. XI.
- 45 Joh. Engebrecht Diss. II de pisce jond. 1702.
- 46 Abr. Wolffj Diss. de dicto Haggai II. v. 8. 6. 1723
- 47 ejusdem, de Lihu amico jobi optimo.
- 48 Laur. Wezeri Diss. de orulatione manus ¹⁶⁹⁶ idolatrie.
- 49 Jac. Rhenferdy Specimen animadversivum in ¹⁶⁸⁸ vivor et iofor.
- 50 ejusdem Archierquazur otio sur. 1687.
- 51 ejusdem, epistola de origine vocis ¹⁶⁸⁸ Atta.
- 52 Bernh. v. Sanden Diss. de live in republica ¹⁶⁸⁹ Hebr.
- 53 Joh. Jac. Quandt Diss. de attramento ¹⁷¹³ Hebr.
- 54 Joh. Henr. Hener Diss. ritus ¹⁶⁷⁴ observatioes philologico criticae.
- 55 ejusdem, Diss. problematum ¹⁶⁷³ philologicorum.
- +35 Schreiber de sensu ¹⁷¹¹ Exodi XX. v. 5.

2. F. F^q₃ S.

EX

THEOLOGIA NATURALI

Controversiam inter Schola Doctores agitatam

AN

CREATIO MUNDI
EX LUMINE NATURÆ
DEMONSTRARI QVEAT?

JEHOVAH FELICITER AUXILIANTE
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,

SERENISSIMO AC EXCELSISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,

DOMINO FRIDERICCO
WILHELMO,

REGNI PRUSSIÆ ET ELECTORATU
BRANDENBURGICI HÆREDE, &c. &c. &c.

CONSENSU AMPLISSIMÆ FACULTATIS PHILOSOPHICÆ
IN ILLUSTRIPREGELANA,
SUB PRÆSIDIO

M. DAVIDIS VOGEL,

FAUTORIS & STUDIORUM PROMOTORIS
PERPETUO VENERANDI

Subjicit Censuræ Publicæ

STEPHANUS COCHIUS, Prussus,

Ad diem Maji MDCCIV. H. L^q₃ S.

REGIOMONTI, EX OFFICINA

Privilegiò SAC. REG. MAJ. confirmata GEORGIANA.

65
FLÖRENTISSIMÆ REIPUBLICÆ
CNIPIHOVIANÆ ac LOEBNICENSIS,
PATRIBUS CONSCRIPTIS,

VIRIS

*Præ-Nobilissimis, Anzplissimis, Consultissimis, Multa-
rumque Rerum Experientia ac Prudentia Clarissimis.*

DN. JOHANNI Sand / Pro-
Consuli gravissimo.

DN. JOHANNI Reich.

DN. MICHAELI Krongehl.

DN. MATTHÆO Klein.

DN. CHRISTOPHORO
ÆGIDIO Negelein.

DN. JOHANNI Zham.

DN. FRIED: Hoffmann Judici.

DN. CHRISTOPH. Lessler.

DN. CHRISTOPH. Krüger.

DN. VALENTINO Pollein.

DN. BERNHARDO Albrecht.

Nec non

DN. MELCHIORI Lübeck.
Secretario dignissimo.



DN. DANIEL Schimelpfennig.
Pro-Consuli gravissimo.

DN. HENRICO Liedert.

DN. MARTINO Jeschken.

DN. HIERONYMO Höpner.

DN. JOHANNI CHRISTO-
PHORO Mehlich.

DN. PETRO Glogau.

DN. CHRISTIANO Zornickau.

DN. D. GEORGIO Emmerich.

DN. DAVID Stobben.

DN. HENRICO Pöpping.

DN. GOTHOFREDO Klein.

Nec non

DN. CHRISTIANO Johansen.
Secretario dignissimo.

*Dominiis Macenatibus, Patronis, Studiorum suorum
Promotoribus humillimo Honoris & Amoris cultu
atatem devenerandis, colendis.*

Exiguum hoc specimen Academicum in
debita gratitudinis tessera atq; ulterio-
rem studiorum suorum commendationem

humillimè offert

STEPHANUS COCHIUS.
Rheinâ Prussus.



DEO DUCE.

§. I.

Inter alia, quæ in Scriptis Philosophorum imprimis veterum occurrunt notatu dignissima, hæc quoq; notari merentur, quæ de materiâ primâ & communi rerum omnium commentati sunt. Quam ut variis expresserunt nominibus, cum dicta ipsis fuerit *chaos*; *sylva*, *hyle*, *mater*, *matrix*, variisq; Epithetis insigniverunt, dum vocant turpem, maleficam, per se ignotam, tenebras, susceptaculum formarum, fundamentum naturæ & propè nihil. Ex quibus nominibus ferè omnia sunt metaphorica. Dicitur *chaos* à veteribus Pœtistis, ut ab Hesiodo, Orpheo & Anaxagora, eò quod confusa, permixta & perturbatâ ratione rerum omnium naturalium formas complectatur, ac intra sese contineat. Dicitur *sylva*, qui aut ex arboribus in sylvâ consistis, innumeræ res artificiales ita ex ea res omnes oriuntur. Dicitur *ἕλη* nomine Græco & quo Arabes, & Hebræi partim usi fuerunt, ut Petrus Gregorius libr. 11. Syntaxis artis mirabilis cap. 6. tradit, quasi sit res quædam rudis, impolita & vacua omni formâ. Dicitur *mater*, quia est principium passivum generationis, sicuti mater in generatione prolis respectu viri est principium passivum. Dicitur *matrix*, quia ut hæc suo grâmio complectitur prolem, eamque sinu suo fovet atq; tuetur, ita materia in se suscipit formam, eamq; fovet ac conservat. Ob quam etiam rationem *locus sive susceptaculum formarum* nuncupatur. Dicitur *turpis*, quia ex se caret ac destituitur omni profus decore ac venustate, cum careat omni formâ. Dicitur *malefica*, quia, quemadmodum mulier malefica interitum proprii viri molitur, ut adultero & alieno liberius frui possit: sic ut materia liberius possit frui formâ quâ caret, molitur interitum illius, quam habet. Audit *per se ignota*, quia non cognoscitur nisi per formam, vel positivè, ut cum intelligitur omnium capax, vel negativè, quia nullam in sua natura includit. Dicitur *tenebra*, ob eandem rationem, quia ex se nullâ luce exornatur, ratione cujus queat ab intellectu cognosci. Appellatur *fundamentum natura*, ut enim funda-

mentum toti structuræ supponitur, ita materia supponitur omni agenti in quavis generatione. Dicitur tandem *propè nihil*, quia tota est potentialis & à Deo maximè distans, quò nomine insignitur ab August. lib. 2. confess. cap. 7.

§. II. Et hanc sicuti variis depingebant coloribus, ita in ejus quidditate seu ratione formali conciliari non poterant, cum quidam nomine aëris, alii ignis, alii terræ, alii aquæ, & alii cujusdam corporis intermedii appellandam censerent. Quod ipsum posteriores Philosophi etiam docuerunt, nimirum Hypocrat. in lib. de natura hom. Galen. in illius Comment. lib. 1. de element. & sexcentis aliis in locis. Plato in Timæo, ibique Platonici. Plotinus Ænead. 2. Ciccr. lib. 1. de nat. Deor. Porphy. in lib. de occasion. Ofellus in lib. de univcrs. Plutarch. libr. 1. de placit. Phil. in nonnullis capitibus, multiq; alii. Hanc, quæ unque tandem sit, licet non habeamus pro figmento, ut opinatos esse constat Justinum Martyrem in confut. dogm. Aristot. Lactant. Firmianum lib. 2. Inffit. divinar. nec non Theodoretum, in lib. de origin. decr. divin. Idq; etiam largiamur esse ingenerabilem, ut statuit Galenus primo de element. id tamen largiri vix ac ne vix possumus, eandem esse æternam. Ac ne videamur injuriam his Philosophis facere, prodire jubemus ex omnibus Platonem insignem illum Philosophum, illiusque institutorem Socratem, qui tria rerum principia esse voverunt *Deum, materiam & ideam* ut in Plutarcho lib. 1. de placitis cap. 3. legimus. Quod ipsum quoque de Aristotele ex Pythagora referunt Lactantius lib. 2. insfit. cap. 9. Cyrillus lib. contra Julian. 2. ab initio, ipse quoque Epiphanius hæres. 7. Sic de Anaxagora refert Theodoretus ad Græcos infideles serm. 4. p. 63. quod chaòs æternum docuerit, ad quod mens æterna accessit, quæ omnes rerum species ab illa commixtione segregavit.

§. III. Id verò dolendum, quod non tantum gentiles extra Ecclesiam sed multi quoque in Ecclesia viventes à spillo hoc errore non immunes extiterint: quod ipsum Ambrosius fatetur lib. 1. Exaem. c. 7. nec non Hieronymus Wilhelmus Lect. 3. de operibus conditi orbis. Augustinus quoque de Seleucianis & Herm. in lib. de hæres. c. 59. videtis quoque Chrysof. Homil. 2. in Genes. Qui vero in Ecclesiam hunc errorem introduxerunt, primò Her-
mogenes

3

mogenes fuisse perhibetur, de quo Tertullianus adversus eundem talia refert. *Hermogenes à Christianis aversus ad Philosophos de Ecclesia in Academiam & Porticum inde sumpsit materiam, cum Domino ponere, qua ipsa semper fuerit, neque nata, neque facta, nec initium habens omninò nec finem, ex quo Dominus omnia postea fecerit.* Quod ipsum de Marcione idem testatur L. V. adversus eundem, ubi Hermogenem & Marcionem propterea vocat materiatos. Eundem ὕλης DEO coæternæ errorem amplexos esse etiam Manichæos testatur Gregorius Nazianzenus libr. de opific. c. 23. Augustinus quoque lib. de hæresib. c. 46. Ausus etiam fuit Paracelsus Anaxagoræ opinionem renovare, *per magnū mysterium increatum, in quò res omnes actu confusas per creatorem tantum separatas fuisse dicit.* Refutavit vero eundem Erastus part. 1. Disp. contra Paracels. Sic de Photinianis, qui præterlapso sæculò errorem hunc ex ore revocârunt, videatur Schmalz. contra Franz. de extremò judicio p. 414. ut & Moscorov. apud D. Keslerum in Phys. Photin. p. 2. De Conradò Vorstio, qui hæc in parte Photinianis pollicem premit, non habemus, cur dubitemus. Sic enim in Resp. ad part. 2. discept. Sladi p. 65. scribit. *Ut nunquam in S. literis disertè scriptum est mundum & omnia quæ sunt in eò, ex nihilò creata esse, ita contra ex aliquâ tum præjacente materia, DEUM hac omnia creasse, nunquam exertè ibidem negatur.* H. I.

§. IV. Cum itaque Scholæ imprimis Doctores, quorum industriam Studiumque hæc in parte non possumus non commendare probè cernerent hæc in re multum erudiitionis ac utilitatis momentum positum esse, hinc thema hoc ex institutò tractandum sibi sumpsère. Cum vero conciliari non possint, sed inter se invicem acerrimè digladiantur, hinc rationum momenta, quibus utraque pars pro confirmanda Sententia utitur, expendere nostrumque interponere iudicium decrevimus. Quod ut feliciter beneque cedat, precamur.

§. V. Quò autem melius in Veritatem Assertionis penetrare liceat, nonnulla necessariò præfanda judicamus, Ac primò quidem reticere neutiquam possumus, Creationis nomen multiplex esse, ac varias admittere significationes. Ac primò quidem significat *productionem rei in communi sive ex aliquò, sive ex nihilò.* Qua ratione

4
tione **D.** Augustinus dicit creare apud Latinos idem esse quod generare in lib. de fide & Symb. cap. 4. quamvis apud Græcos ut idem testatur & Hieronym. in ep. ad Galat. cap. 4. idem valeat quod condere. Significat secundò *Elevationem ad superiorem & nobiliorem Statum*, quo in sensu vocem hanc adhiberi legimus ab Augustinò in loco superiori cap. 1. Basilio Psalm. XXXII. in illa verba: *Ipse dixit, & facta sunt, ipse mandavit & creata sunt.* Ubi creare, inquit, idem esse quod regenerare seu evehere hominem ad gradum quandam nobiliorem multoque digniorem, quam ille est, qui juxta propriam naturam ipsi debetur. In regeneratione enim animæ, quæ per Sacramenta fit evehimur ad consortium & participationem divinæ naturæ, quò donò nihil in hac vitâ mortalibus evenire potest. Et in hacce significatione, voce hac utitur Augustinus, hoc inquires interesse inter facere & creare, *quod facere sit ejus quod non erat, creare autem ejus quod erat.* Sumpsit enim creare pro eò quod hominem ad dignitatem quandam elevare. Vid. eundem in lib. contra Adversarium legis & Prophetarum cap. 24. Tertio tandem significat *productionem rei ex nihilo* i. e. ex nullâ præsupposita vel præjacente materia, quæ vera est, & propria hujus vocis significatio. Nam ea demum juxta communem eundemque optimum loquendi modum verè proprieque creati dicimus, quæ ex nullâ materia condita fuerunt.

§. VI. Poterit itaq; creatio sic sumpta non incommodè defini-ri per *productionem rei ex nihilo.* Quam certè definitionem non obscure colligere licet ex optimis scriptoribus, ut ex Augustino in lib. de Genes. ad literam imperfecto cap. I. & 12 de Civit. cap. 25. neq; non ex Divo Augustino Martyre in Admonitorio ad Gentes, ubi ex Platone eleganter appositèq; inter opificem atq; creatorem distingvit: quod opifex sit is, qui ex materia aliquid producit, Creator verò, qui ex nihilo aliquid condit. Conferatur quoq; hanc super rem Damascenus lib. 2. fidei cap. 1. nec non Glossa interlinearis in Psalm. XXXII. in illa verba: *Ipse man lavit & creata sunt*, ut & Anselmus in Monolog. cap. 6. 7. & 8.

§. VII. In quâ definitione *productio* locum generis tenet, est enim latior quam creatio, suoque ambitu plura complectitur, omnis namque creatio productio est, non tamen contra.

§. VIII.

§. VIII. Altera particula est *ex nihilo*. Ubi observari volumus, Particulam *Ex* duo significare juxta Aristotelem 2. Metaph. cap. 2. & §. cap. 24. Primò *ordinem unius ad alterum*, ita, ut ex illis unum sit prius & postea alterum sequatur; sicque dicimus, ex mane fieri meridiem, & ex nocte fieri diem, quia post mane sequitur meridies & post noctem dies succedit. Secundò *materiam*: nam inter alia causarum genera proprium est materiæ, ut ex ea aliquid fiat, est enim ipsa id, ex quo insito aliquid fit, sic ex ligno dicimus fieri cathedram, & ex auro annulum, quia lignum est materia cathedræ, & aurum annuli. Nobis autem *ex nihilo* nihil aliud significat, quàm materiæ absentiam in productione mundi ejusque negationem.

§. IX. Ubi simul quoq; benè notandum nomine *mundi* compagem hanc, quam conspicimus ex corporibus cœlestibus, elementis & his, quæ intra continentur coagmentatam intelligendam esse, quemadmodum eandem sic definitam legimus ab Aristotele, aut quicumq; tandem est Autor libri de mundo ad Alexandrum.

§. X. Intelligimus quoq; per demonstrationem eam, quæ ex veris & primis i. e. necessariis, propriisq; rerum principiis constat. Conf. 1. Top. cap. 1. §. 4.

§. XI. Jam conscendere jubemus Scholæ Doctores eis primum locum concedentes, qui negativam acerrimè propugnant. Hos inter præcipuus existit Petrus Aureolus natione Gallus Doctor facundus appellatus; conf. præter alios ex recentissimis Rechenberg in Summar. Histor. Eccles. p. 420. qui in Capreolo in 2. distinct. l. q. z. concl. 4. ex lumine naturæ hoc nunquam probari posse, quinimò manifestam contradictionem implicare existimat. Et hoc ut aliis eò melius persuadere possit, duabus utitur rationibus, quas audire non ingratum erit. Ac prima quidem ejus ratio inde desumpta est, quod v. c. lapis creatus neq; in actu neq; in potentia fuerit, hinc concludit: Impossibile itaq; esse, ut id quod neq; in potentia existit per creationem existere queat. Non pœnitebit, quia tantum pondus in ea argumentandi ratione positum esse existimat, verbotenus eam huc transferibere, quam his concepit verbis: *Sed, inquit, Creatio est possibilis, demus igitur esse lapidem, qui sit creatus, vel igitur ille ante creationem erat in actu vel in potentia, aut neutro modo,*

modo, i. e. neg. actu neg. potestate fuit. Primum dici non potest, quia si erat in actu non igitur erat, cur crearetur, siquidem quod jam est, non creatur, quemadmodum nec generatur. Neg. ultimum: Equidem quod nullo modo est, non potest creari, quod enim non habet potentiam, ut sit, impossibile est ipsum esse ut Arist. lib. 9. Metaph. cap. 3. testatur. Quapropter secundum erit verum scilicet lapidem ante creationem fuisse in potentia, ut crearetur: sed quod sit ex aliqua potentia, non sit ex nihilo. H. I.

§. XII. Altera ejus ratio, cur creationem ex lumine rationis pro impossibili judicat, eo collimat, quod existimat æquipollentia esse, sive aliquis dicat, aliquid fieri ex nihilo, & nihilum fieri aliquid, idem namque dicit esse, ex aëre fieri ignem, & aërem fieri ignem, item ex candido fieri atrum, & atrum fieri candidum. Jam verò contradictionem implicare dicit, nihilum fieri aliquid, hinc concludit. E. implicare quoque ex nihilo aliquid fieri & per consequens creare aliquid, cum creatio nihil aliud sit, quam productio entis ex nihilo. Pergit idem evincere, ἀδύνατον prorsus esse atque impossibile, ut nihilum possit fieri aliquid, deberet enim fieri vel formaliter, vel subjectivè, sed neque primo neque altero modo fieri posse contendit. His duabus rationibus fretus Creationem mundi ex lumine rationis neutiquam demonstrari posse evincit, contenditque Articulum de creatione non mixtis sed puris esse annumerandum.

§. XIII. Sententiæ hujus assecla existit Marsilius, in 2. Quæst. I. Art. 2. Hic enim apertè atq; audacter negat creationem mundi ex lumine rationis hauriri posse, cum neq; ex evidentibus deduci, neq; per sensum vel experientiam haberi queat, sed solò lumine fidei supernaturali. Nititur verò svadere hanc sententiam, variis rationibus. Nos si non omnes, duas saltim easque præcipuas recensebimus.

§. XIV. Ac ratio quidem ejus prima cur hoc neget constantissimè hæc est, quod Articulum fidei constituat hæc propositio: *Possè aliquid creari* hinc propositionem ex fide notam, non per se notam esse posse judicat, verba hujus Philosophi integra exhibebimus: *Possè aliquid creari est articulus fidei: unde hæc Propositio, creatio est possibilis non per se nota, quemadmodum neque alie veritates fidei.*
Neque

neque est nota per sensum aut experientiam, neque potest ex his ullo modo deduci: sed quicquid est notum lumine natura, aut est per se notum, aut potest ex per se notis deduci, aut saltem per sensum vel experientiam cognosci. Ergo possibilitas creationis non erit nota lumine natura. Provocat ad commune illud axioma, ex nihilo nihil fieri posse.

§. XV. Dein pervasum sibi habet, creationem ex lumine rationis prorsus impossibilem esse, eò quòd Philosophi, qui in origine mundi investiganda strenuam operam navârunt, ipsam non deprehenderint, quod indicio est, creationem non posse ullò modò cognosci ex hoc lumine, nisi accedat lumen revelationis. Et quia argumentum hoc magni momenti magnique ponderis existit, non ingratum fore putamus, si propria ejus sistamus verba, quæ integra hæc sunt: *Si hoc lumine [scil. rationis] posset hujusmodi possibilitas deprehendi, certè Philosophi naturales illò fulti, qui in origine mundi investiganda strenuam operam navârunt, ipsam deprehendissent: at nullum Philosophum ipsam deprehendisse legimus, ut constat ex Arist. in lib. de cælo, lib. de ortu & interitu, & lib. 1. Metaph. in quibus locis veterum sententias recenset, & nullius sententiam imdit, qui dixerit mundum esse creatum: Quinimò Plato, qui propinquiss ad veritatem accessisse videtur, inquit, materiam ex quâ DEus mundum condidit, non esse creatam, sed insectam & increatam, sicuti & idem, ad cujus similitudinem illum produxit; statuebat enim ipse tria rerum omnium principia increata, & improduda, DEum, ideam & materiam, ut D. Ambrosius lib. 1. Hexaëm. testatur. H. I. Plures ejusdem rationes, quia admodum spinosæ existunt, & vix capi possunt, recensere supercedemus.*

§. XVI. Ad castra eorum transit *Henricus à Gandavo*, cujus sententiam refert *Jacobus Naclantus* in opusculo de Creatione rerum, ubi de his rebus multa perquam eleganter disserit. Quia verò supponit essentias rerum esse aternas, quod in quæstione tamen est positum, hinc rationes ejus recensere non merentur, poterit tamen L. B. adire Autorem jam citatum in loc. cit.

§. XVII. Postquam itaque hæctenus exposuimus sententiam *Negantium* cum præcipuis illorum rationibus, & illi recensendi veniunt, qui ex Scholæ Doctoribus contrariam tuentur soventque

B

sen-

8
sententiam. Est verò ex præcipuis in hac sententiâ Thomas I. part. quæst. 44. art. 1. 2. contra Gent. cap. 2. quæst. 3. de potent. artic. 1. & 3. & in 2. distinct. 1. qv. 1. artic. 2. & 3. in quibus locis evidentibus, ut ipse quidem existimat, rationibus ex ipso rationis lumine haustis convincit Deum posse verè & propriè aliquid creare.

§. XIX. Arridet quoque Affirmativa sententiâ aliis Scholæ Doctoribus, ut Alexand. 2. part. qv. 6. Art. 6. nec non Scoto quodlib. 7. ut & Richardo, in 2. distin. 1. Argentinæ quoque; imprimis autem Jacobo Naclanto in jam allegatò opusculo de rerum creatione, permultisq; aliis. Quia vero nimis prolixum foret, omnium rationes sistere ac in medium proferre, hinc eas saltim recensebimus; quas urget ex Scholæ Doctoribus R. Fr. Didacus Masius Valentinus Ord. Præd. ingenuar. Artium & S. Theol. D. & ejusdem in florentissima olim Valentinarum Academia Prof. ac Thomæ, ut seipsum vocat interpres in Comment. in univers. Aristotelis Philosoph. p. 432.

§. XIX. Urget autem primò quod Deus sit agens potentia & virtutis infinita cui nihil impossibile est, nec per consequens creare, seu ex nihilo aliquid producere; deinde secundo existimat de actione Dei secundum ejus essentiam judicandum esse, quia verò Deus nihil prius agnoscit inesse, hinc in agendo quoq; nihil supponere, ipse liquidem, cum Ens primum sit, supra se nihil prius habens, & intra se omnia Entia tanquam posteriora complectens, hinc manifestum esse colligit Deum in agendo nihil supponere. Stante vero hac hypothèsi, non posse non rationem admittere creationem rerum cunctarum, seu ex nihilo productionem. Urget quoque rationem Thomistarum: solum Deum esse Ens per essentiam, cum ita sit ut possit non esse seu necessario, *reliqua vero Entia existere saltim per participationem, i. e. ut ipse explicat in solo Dei esse.* Placet, cum clarè satis rem hanc edisserat audire sic pro affirmativa sententiâ concludenti. *Solus Deus, inquit, Ens est per essentiam, reliqua vero ab ipso sunt Entia per participationem i. e. in solo Deo esse vel existere est ejus natura, ita ut non accidat illi esse, sed intima & semper illi conveniat, in eoq; secundum totam suam plenitudinem resideat, non divisim aut per partes, in Creaturis verò non est earum essentia; quia interdum illa sunt & interdum non sunt, estque in his divisim & per partes,*

una siquidem creatura unam partem essendi habet, & non totam illius rationem, ut homo tantum habet esse humanum, & non esse leonis, & leo esse leonis & non equi, sicque in aliis, sed quicquid habet esse per participationem derivatur ab eo, quod habet esse per essentiam secundum Arist. lib. 2. Metaph. cap. 1. ut calor, qui est in rebus mixtis per participationem derivatur à calore ignis, in quo reperitur secundum essentiam & esse, quod reperitur in accidentibus per participationem derivatur ab eo, quod est in substantia secundum essentiam, juxta Aristor. lib. 4. Metaph. cap. 1. & 7. cap. 1. E. cujuscunq; Entis creati & præter Deum existentis à Deo erit, at nequit esse ab eo nisi per creationem, quia essentia ejus est participata. H. I.

§. XX. Provocat quoque hic idem Scholæ Doctor ad animam rationalem ac materiam primam (de Angelis & substantiis separatis quod adducit, quia adhuc *κένωσις* & sub judice lis est, o-mittimus) quæ non alio modo quàm per creationem produci posse autumat, quia sunt Entia simplicia & incomposita compositione nimirum physica, sicque nullam habere materiam, ex qua fiant.

§. XXI. Hic etiam quàm maximè præ aliis occupatus est, rationes contrarium sentientium in nihilum redigere. Ac primo quidem ad sententiam Aureoli respondet, distinguendo inter potentiam passivam seu materiale & activam seu Logicam, quam distinctionem sic applicat, ut admittat in lapide non dari prioris generis potentiam, non tamen exindeneandam esse vult potentiam logicam. Audiamus ejusdem responsionem, quæ ex ore ejus sic fluit: *Ad primum dicimus, admittentes lapidem, antequam crearetur, esse in potentia non quidem passiva vel materiali, quasi sit aliqua materia, ex qua Deus ipsum creet: sed in activa Dei & in potentia logica, quia hæc duo extrema lapis & esse inter se non repugnant; at qui ita sunt in potentia, non fiunt ex aliquo sed ab aliquo & aliquid, i. e. ab aliquo agente, nimirum à DEO, & aliquid Ens, sed lapis vel leo, quia re lapis non fiet ex illa potentia, sed ab illa, sicq; non produciuntur ab aliquo.* H. I.

§. XXII. Ad secundam Aureoli rationem regerit negando idem esse aliquid fieri ex nihilo & nihilum fieri aliquid: Integra ejus quam suppeditat, responsio hæc est: *Ad secundam respondemus, falsum esse majorem, nimirum idem esse aliquid fieri ex nihilo*

& nihilum fieri aliquid. Et ad confirmationem dicimus verum esse in utraque generatione idem esse ex hoc fit illud, & hoc fit illud, nam in utraque datur commune aliquod subjectum & priori & formæ introducenda? ratione cuius verè dicimus, & hoc fit illud, & ex hoc fit illud. Enimverò, quando subjectum sine ulla privationis consideratione cum sola solitudine ad formam usurpamus, tum rectè dicimus, hoc fit illud, ut quando hominem sumimus sine privatione albedinis, tum rectè dicimus, illum fieri album. Quando verò illud cum privatione coniungimus, tum dicimus, ex hoc fit illud: ut quando eundem hominem cum privatione albedinis copulamus, rectè profitemur ex homine non albo fieri hominem album. Quapropter quamvis profiteamur in Creatione Ens fieri ex nihilo, i. e. non ex aliquo, tanquam ex materia & subjecto, non tamen dicere possumus in ea nihilum fieri aliquid: quia nihilo & Enti non est aliquod commune subjectum, ratione cuius dicamus hoc fieri illud: quia hoc genus loquendi tantum potest convenire illis, quibus potest esse idem & commune subjectum. H. I.

§. XXIII. Pergit Hic in refellendis Antagonistarum rationibus, ac rationes Marfilii sub Examen revocat. Satisfacere autem studet ei, dum Creationem Articulum fidei constituere firmissimè est persuasus, h. m. ut limitet illam propositionem, quæ vult creationem Articulum fidei constituere; Audiamus limitationem ex ore ejus; Articulus, inquit, fidei est, Deum esse Creatorem, & non quavis ratione, sed absolutè, & in tempore, & tali tempore, à se decreto, juxta liberum suæ voluntatis propositum. Unde in Symbolo non credimus, Deum posse creare, hoc enim notum est lumine natura, sed esse Creatorem: equidem cum esse Creatorem in tempore, & tali tempore à solâ divinâ voluntate pendeat, sique lumini naturali occulta divina voluntas, necessaria erit revelatio, per quam ipsa nobis innotescat, ac per consequens necessaria erit revelatio, ut illius beneficiò in cognitionem hujus rei deveniamus. H. iterum I. Deinde ex concessis disputat, ostendens, non tamen sequi id, quod ex revelatione constat, non posse nobis ex ratione constare, hinc sic pergit respondere: Quod quamvis ingenè admitteremus, posse Deum aliquid creare, & non tantum actu esse Creatorem esse articulum fidei, non tamen inde sequeretur, non posse hanc possibilitatem lumine natura

11.

investigari. Sciendum siquidem est, duobus modis aliqua spectare ad fidem per se & per accidens. Per se spectant, qua solo lumine fidei possunt cognosci, ut esse Deum in personis irinum & Deum esse incarnatum, & sic de aliis. Per accidens verò, qua non à solo lumine fidei, verum & à lumine rationis possunt investigari, ut sunt: Deum esse, esse unum gubernatorem, sicque in aliis, nam hac non tantum per fidem, sed & per lumen naturale cognoscuntur. Quae igitur sunt de fide per se, nequeunt lumine naturali investigari, bene tamen ea, qua sunt de fide per accidens: at posse Deum creare mundum, est de fide per accidens, sicque poterit lumine naturali cognosci.

H. I.

§. XXIV. Ad illud, ubi Marsilius urget, Creationem non esse per se notam, respondet concedendo, ostendit quoque propositionem magis evidentem & clariorem ex qua sequatur: Verba ejus sunt hæc: *Ad illud autem, num possibilitas creationis sit per se nota nec ne? respondemus, non esse, sed esse per aliud notam: nam sequitur aperta collectione ex hac Propositione, Deus est immensus, infinitus, omnipotens, rectè enim sequitur, Deus est actu infinitus. E. habet potentiam infinitam atque immensam: Sed quod habet potentiam, potest ex nihilo aliquid producere. Non ergo hujusmodi possibilitas sensu, non experientia, sed evidenti & aperta argumentatione ex illo principio collecta debet investigari.* H. I. Ad canonem verò illum communissimum: *Ex nihilo nihil fieri, quem valdè Marsilius urget, regerit eundem intelligendum esse de agentibus particularibus, non de agente universali & infinito. Ex illo, inquit, principio, ex nihilo nihil fit, dicimus non sequi evidenter, non posse aliquid creari, hoc enim principium tantum est intelligendum respectu agentium particularium, qua nisi habeant materiam subiectam, nihil possunt moliri, sicque neque ex nihilo aliquid producere: & in emanatione aut productione alicujus Entis particularis: verum respectu agentis universalis & infiniti non est evidens, ex nihilo nihil fieri, imò è contra est evidens, ex nihilo aliquid fieri, & id ipsum est evidens quoque in emanatione totius Entis.* H. I.

§. XXV. Ad illam Marsilii rationem, quando consensum veterum Philosophorum urget, respondet cum Thoma ex opusculo

ejus de natur. Angel. cap. 9. Veteres Philosophos in rerum Originibus & initiis investigandis, paulatim progressos fuisse, & qui primi philosophati fuerunt, res judicio sensuum metientes, nullam aliam rerum originem, quam formam quandam accidentalem agnovisse, unde omnem generationem alterationem esse dixere, ut Arist. lib. I. de ortu & interitu cap. 3. scribit. Deinde addit, alios ultra progredientes, mentemque ab his sensibilibus tantillum avocantes originem rerum substantiis concessisse, cum per congregationem & segregationem quorundam atomorum, & corpusculorum minimorum omnia oriri & interire fassi fuerunt. Pergit hic idem respondere, fuisse alios posteriores, qui materiae & formae substantiali latentibus quidem & solo intellectu comprehensibilibus haec omnia tribuerint, verum quia illi tantum considerarunt emanationem unius Entis particularis ab altero nullam alteram originem, quam ex materia & forma constituisse, nihilque ex nihilo fieri posse docuisse; quia omni emanationi particulari necessum judicarunt, materiam subesse agenti, ut in eam formam suae naturae accomodatam introducere queat. Provocat hic idem ad Scriptores gravissimos, Lactantium lib. 7. divin. Institut. cap. 3. Augustinum II. de Civitate Dei cap. 4. & 12. cap. 17. Justinum Martyrem in sua paranesi, Augustinum quoque Eugubinum lib. 7. perennis Philosoph. cap. 3. qui evincere pluribus satagunt, multos Philosophos creationem saltim per indirectum & obliquum agnovisse.

§. XXVI. Ad Aristotelis imprimis auctoritatem, quae apud Eruditos multum valet, respondet, ac ex instituto illam quaestionem pertractat, an agnovit creationem nec ne? Ubi sic procedit, ut sententiam eorum sistat primum, qui constantissime hoc ipsum negant, quique pro aris & focis contendunt, nihil magis esse, quod cum illius placitis pugnet, quam productionem alicujus Entis ex nihilo. Justo ordine recenset eos, qui hujus sententiae Patroni existunt, è quorum numero esse dicit Eudemium & Alexandrum, nobiles illos Peripateticos, ut hoc ipsum Simplicius aperte perquam testatur text. 6. in digress. sua adversus Philop. Averr. Comment. 4. hujus lib. Ex Platonicis Phleto in lib. de his, quibus Plato ab Aristot. dissidet, & Cardinal. Bessarion lib. 2. conj. calumniat. Platon. cap. 6.

§. XXVII.

§. XXVII. Progreditur recensere opinionem aliorum de hac controversiâ, quibus perplacet statuere, Philosophum utique agnovisse saltim per indirectum creationem, & inter benè multos, quos citare superfedemus, allegat Albertum M. in lib. de quatuor coævis quæst. 1. artic. 1. Utriusque rationes exponit, ac primò quidem illorum, qui hoc aperitissime negant. Sunt verò sequentes: Primò quidem dicunt, ex eo manifestum fieri, atq; palàm Aristoteli ne in mentem venisse creationem, quod quàm sapissimè in scriptis suis repetat atque laudet tritum illud & pervulgatum Philosophorum dixerium: *Ex nihilo nihil fieri*: ut lib. 1. Phys. cap. 4. & 8. Quâ hypothesi stante non potuisse vel ullâ ratione agnoscere creationem. Urgent deinde secundò omnem causam agentem secundùm Aristotelem agere per motum. Sic enim eam definitam legimus lib. 2. Physic. cap. 3. & 6. nec non lib. Metaphysic. cap. 2. à quâ est principium motus vel mutationis. Creationem autem non esse verum propriè dictum motum, quia nullum subjectum supponit, quem tamen motus necessariò requirere videtur. Tertio & ultimò addunt ad propugnandam sententiam suam Potentiâ activam, quam Aristoteles novit requirere principium transmutandi, provocant ad lib. 5. Metaph. cap. 12. & ad 9. cap. 1. sed in creatione seu productione ex nihilo nihil tale occurrere, quod transmutari possit, cum nihil quicquam in eâ supponatur.

§. XXVIII. Qui verò contrarium sunt persuasi, his pugnant rationibus, quòd nimirum Aristoteles cognoverit animam intelligentem verè creari. Assertionis hujus fundamentum quærunt in lib. 2. de Generatione animal. cap. 3. ubi locorum clarè perspicuèque scribere non dubitat illam (nimirum animam intelligentem) de foris venire, id est, ut ipsi interpretantur, non esse sicuti alias formas,eductam de potestate subjecti, sed à solo agente extrinseco sine ulla dependentia materiæ ex nihilo produci. Provocant porrò ad librum 2. Rhet. cap. 23. ubi scribit: *Dæmones etiam esse opus DEI, cum hi non consint materiâ, non posse aliò modò, quàm per creationem emanare.* Urgent locum ex 2. Metaphysic. cap. 1. ubi docet primam causam esse cæteris causam. Urgent valdè ea, quæ habet in eodem libro cap. ult. non dari nimirum progressum

sum

sum in infinitum in causis efficientibus, sed deveniendum tandem esse ad unam, quæ sit rerum omnium effectrix, ad Deum nimirum. Tandem dicunt, res sempiternas, ut sunt substantiæ separatae, non posse aliò modò, quàm per creationem existere, quia juxta ipsum lib. 11. Metaph. substantiæ sunt immateriales, quod autem est immateriale, non posse aliò modò, quàm per creationem habere esse.

§. XXIX. Omittimus brevitatis causâ, quam nobis propositam habemus, recensere ea, quæ disputant Cajetanus quæst. 10. cap. 6. de Ente & essentia. Socinus 12. Metaphysic. quæst. 15. & 16. Javel in eodem libro 12. quæst. 5. Scaliger Exercit. 61. in Cardan. Isidorus de Isolaniis lib. 3. de aeternitate mundi, contra Averroistas, & Jacobus Naclantus in illa sæpe citata quæstione, de Creatione rerum. Nec ea recensemus, quæ inter se ex libro de Mundo ad Alexandrum disputant, quem librum multi pro genuino Aristotelis fœtu agnoscere nolunt, alterius Peripatetici esse contententes, è quorum numero fuit Petrus Victorius, teste Marc. Antonio Mureto lib. 2. variar. lection. c. 8. & ipse Muretus, qui ipsum tribuunt Nicolao Damasceno Peripatetico, nec non Cœlius Rodiginus lib. 24. lection. antiq. qui, inquit, ipsum vel Aristotelis vel Theophrasti esse, quod tamen multis non est ad palatum, quippe qui ex phrasi & orationis genere gravi, brevi ac conciso multisque aliis indiciis ipsius esse colligunt, quam sententiam fovent Justinus martyr in Confut. dogmat. Aristot. & Nicet. Scholiastes, Gregorius Nazianzenus in Schol. Orat. de Nat. Commendamus hac in parte præter Jacobum Carpentarium in lib. de Script. universæ Philosophiæ cap. 4. Franciscum Patricium Discuss. Perip. lib. 3.

§. XXX. Jam fas æquumq; est examinare sententiam Scholæ Dd. & quid boni in ea collocatum sit, edisserere. Accipe itaq; L. B. nos sic de hac illorum controversia judicare, ut existimemus, rationes imprimis illorum, qui affirmativam nobis persuadere conantur, tanti momenti, tantiq; ponderis non esse, ut sententiam hæctenus receptam deferamus. Ita enim maximam partem sunt comparatae, ut

ut ex talibus positis concludant, quæ lumen naturæ transcendunt, & de quarum connexionione ac vinculo rationi sibi relicte judicare *ἀδύνατον* prorsus ac impossibile existit. Cum itaque *μεταβασιν εἰς ἄλλο γένος* committant, quis ipsorum sententiæ subscribere non dubitabit. Possemus facili negotio rationes illorum in nihilum redigere, nisi brevitatis, quam nobis hæc vice commendatam habemus, id ipsum vetaret. Accedit etiam hoc ipsum, quod plurimæ objectiones, quæ pro affirmativa adduci solent, à Philosophis Præstantissimis jam dudum solutæ sint.

§. XXX. Nos si liceat liberè mentem circa hanc controversiam explicare, sic statuimus, eousque rationem sibi relictam pertingere posse, ut admittat mundum non esse productum ex essentia divina, cum hoc repugnet tum immaterialitati tum simplicitati, ut & immutabilitati divinæ, quamvis & hoc facile admittamus, rationem quoque sibi relictam evidentissimè cognoscere posse, mundum extra Deum non esse productum ex aliqua materiâ coæternâ, & à se existente, nisi velit duo principia admittere, quod tamen est *παράδοξον* & absurdum; Quamvis & in eò concedendo faciles simus, rationem sibi relictam ita concludere posse, ut nonnemo Theologus cupit in Theologiâ Canonicâ Canon. LXXXIV. ubi sententiam Irenæi ex lib. 2. cap. 18. illustrat: *Quia mundus à DEO est productus, aut productus est ex nihilo; aut ex aliquò. Si ex aliquo, rursus de illo queritur an sit creatum an increatum? si creatum, rursus emergit eadem questio, an sit ex nihilo an ex aliquo? Aut ergò progressus dabitur in infinitum, quod est absurdum, aut dicendum erit, illud, ex quo mundus est productus, esse aliquid increatum, si aliquid increatum, sequitur aut esse ipsam DEI essentiam, aut aliquid præter & extra Deum. Si posterius, sequitur duo dari actû infinita, Deum nempe & increatum, illud, ex quo hic mundus conditus fuit, quod absurdum, darentur enim duo principia. Si prius, mundus esset aut ipse DEUS, qui solus est increatus, aut ex substantia Dei esset productus, quod inesse repugnat. Ex eò tamen rationem sibi relictam creationem statim admittere, idque apodicticè ac demonstrativè, hoc est quod*

constantissimè negamus. Nos laborem finimus adjicientes illud
 Apostoli ex Hebr. XI. 3. Πίστιν νοόμεν κατηγορεῖσθαι τῆς αἰώνιας
 ῥήματι Θεῷ εἰς τὸ μὴ Φαινομένων τὰ βλεπόμενα γεγονέναι, quæ
 sic κατὰ πόδα Desiderius Erasmus Roterodamus vertit: *Per
 fidem intelligimus perfecta fuisse secula verbò DEI,
 ut ex his, que non apparebant, ea,
 que videntur, fierent.*

T. A N T U M !



* * * *

Primum dum specimen, COCHI,
 feliciter edis,
 Ac lingvâ doctâ prælia docta subis,
 Gratulor hos ausus: plus ultra tendere
 pergas,
 Virtus sic olim laurea ferta feret.

*Hac Nobiliff. Literatissimoque Domi-
 no Respond. Amico suo perquam di-
 lecto, ἐυφημίας ἕνεκα gratul. ap-
 posuit*

PRÆSES,

17

Er die beliebte Frucht/ so Pflug und Sichel
giebet/
Zum Riegel/ Schloß und Rüst in Ewig-
keit verdamt/
Und dessen Vorrath mehr als seinen Nutzen
liebet/
Dem ist ein dummer Geitz/ vor Klugheit an-
gestamt.
Du kan das Wiederspiel den klugen Fürsasz
loben/
So das vertraute Pfund mit Schweigen
nicht vergräbt/
Gewiß/ der Himmel hat den Bucher aufgehoben/
Dem/ der wie DU nach Ruhm mit offner
Arbeit strebt.

Mit diesen wenigen/ doch aus ergebenem
Gemütthe gestrohenen Zeilen/ hat seinem
liebwehreten Bruder seine Schuldigkeit
darlegen wollen

PHILIPP. HENRIC. COCHIUS.
Con-Rect. Scholæ Luther, Grudent.

PArcite, collectas atomorum spargere menses,
Quas Abderitæ † marcida rura ferunt!

Par-

† *Conf. Diog. Laërt. lib. 9. de vir. Philos. in V.*
Democr. & Cic. lib. de fin. B. & M. S. 17.

Parcite Leucippi †† piceas renovare tenebras,
 Splendidior fax est quam Stagirita tulit,
 Quo natura suum nescit protendere sceptrum,
 Heïc quoque Philosophus sub juga missus, eat,
 κίσις si φύσει latitat, qui κέσις eandem
 Philosophi inquireret? conticuisse juvat.
 Ergò, dum volupe est mundi perquirere causam,
 COCHI, naturæ semina larga legis,
 Pergito divinis porrò litare Camœnis,
 Doctrinæque para nobilioris opes;
 Nexu sic parili φύσις & doctrina meabunt,
 Et Phœbo tandem vina dapesque ferēs.

†† *Conf. itid. Diog. Laërt. l. c. & qui
 fuscè adversus eum disputat L. C. Laët. l. 3.
 D. Inst. c. 17. p. 147. itemq; L. de Ira Dei c.
 10. p. 423. seq. Edit. Cantabrig. 1685.*

honorì dare voluit

ERN. FRIDER. KESSELRING.
Regiomontanus.

Mundus an æternus? COCHI, sub PRÆSIDE
claro

Ascendens cathedram per documenta probas.
 Perge ita, perge bonis arribus. Sic imus ad astra,
 Et Graji muros scandimus Iliacos.

*Hicce Nobiliss. Dno. Respondenti, populari &
amico suo integerrimo, gratulari voluit,*

GOTHOFRED. FABRICIUS.
Rcincnsis.

❁) o (❁

99 A 6943

ULB Halle 3
002 821 931




Handwritten mark

Detrov

Vb 17 *Mi 97*







70
Q. F. F. S.

EX
THEOLOGIA NATURALI

Controversiam inter Schola Doctores agitatam
AN

**CREATIO MUNDI
EX LUMINE NATURÆ
DEMONSTRARI QVEAT?**

JEHOVAH FELICITER AUXILIANTE
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,

SERENISSIMO AC EXCELSISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,

**DOMINO FRIDERICO
WILHELMO,**

REGNI PRUSSIÆ ET ELECTORATU
BRANDENBURGICI HÆREDE, &c. &c. &c.

*CONSENSU AMPLISSIMÆ FACULTATIS PHILOSOPHICÆ
IN ILLUSTRIS PREGELANA,
SUB PRÆSIDIO*

M. DAVIDIS VOGEL,

FAUTORIS & STUDIORUM PROMOTORIS
PERPETUO VENERANDI

Subjicit Censuræ Publicæ

STEPHANUS COCHIUS, Prussus,

Ad diem Maji MDCCLIV. H. L. S.

REGIOMONTI, EX OFFICINA
Privilegiò SAC. REG. MAJ. confirmata GEORGIANA.

